Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

**Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online**

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

**Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor**
Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

**Ophavsret**
Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

**Links**
Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

# Examinis sollennia

in

# Gymnasio Flensburgensi

**die XXV. m. sept. h. a.**

publice celebranda

humanissime indicunt

## Rector et Collegium.

---

1. Commentationis de scoliis fasciculum primum scripsit Rector.
2. Fastos gymnasii composuit Rector.

---

*Flensburgi. Typis Jægerianis. 1846.*

Quum schedas meas perlustrarem, et mecum cogitarem, quid potissimum hisce gymnasii nostri annalibus praefaturus ex iis in medium proferrem, (majora enim suscipere per valetudinem non licuit) nescio quomodo factum est, ut studiorum generis per longum temporis spatium intermissi mira quadam suavitate et jucunditate duci viderer atque invitari. Quod, quum ipsius rei et suavitate et gravitate evenisse putandum est, tum jucundissimi temporis recordatione, quo sperare mihi contigit, fore ut, quam literarum partem adolescentulus adamassem, eam nullis neque negotiis nec curis nec aerumnis impedito per omnem aetatem tueri liceret, et pro virium mearum mediocritate propagare, tum, id quod gravissimum sane est, quod probe viderem, discipulorum animos tali, quam institui, disputatione, quae arctioribus finibus circumscripta in rebus non ita reconditis versaretur, et ad ipsorum adolescentulorum captum accommodata esset, ad quaerendum et commentandum vocari, et ad cognitionis et scientiae in iis innatum amorem colendum et augendum excitari. Quo accedit, quod hujusmodi disputatiunculis, quibus ea, quae minus recte a majoribus tradita in virorum doctorum scholis et libris usque recurrunt, refutantur, ipsi bonarum literarum fines firmari et propagari videntur.

Sunt fortasse, qui me de rebus, quibus puerorum institutio ac disciplina continetur, de summo discrimine, in quo res illa in hac terra versari videatur, malint dicentem audire, et suo quodam jure poscere sibi videantur, ut in extremo quasi Germaniae praesidio positus et in ipsa illa urbe, quae prae ceteris studiis parum humanis in doctrinam et humanitatem saevire putanda sit, earum praesidium ac tutelam fortissimo animo suscipiam. Sed molesto illo ac parum honesto certamine facile supersedeo, quoniam neque hujus libelli est, et universa illa res a summis illis viris, quorum consiliis rex noster potentissimus, clementissimus in Holsatiae rebus administrandis utitur, nuper ita et explicata est et illustrata, ut rei peritissimus quisque ne dubitare quidem possit, quin omnes, quorum intersit, probe intelligant, quid sibi cavendum fugiendumve sit, quid contra sumendum studioque summo perficiendum; praeterea, quum ipsa res

munerisque, quod mihi mandatum est, ratio ferre videretur, cum viris illis amplissimis, penes quos de puerorum institutione ac disciplina in hac civitate summum est arbitrium, communicare malui, quae vel ipse expertus de gravissima illa quaestione sentirem, vel aliorum dictis et scriptis edoctus cognovissem, quam in docendis hominibus, vel harum rerum parum cūriosis, vel inani utilitatis sordidae istius et abjectae specie deceptis operam, ut dicunt, oleumque perdere. Quae paucis praemonenda erant, ne apud viros bonos ac strenuos in incuriae et ignaviae crimen incurrerem, si pugnam periculosae plenam aleae turpiter detrectasse viderer, ceterorum invidia et odio non admodum sollicitor — sed jam valeat umbra, in lucem progrediamur.

De scoliis, popularibus Graecorum cantilenis, ita disputare institui, ut primum de eorum origine et natura dicerem, deinde, si quae ad ea explicanda et illustranda opus esse viderentur, ea accurate et data opera, ut ipsi tirones nihil desiderare possent, in medium afferrem, tum singula carmina recenserem, et dijudicarem, utrum recte, an minus, in scoliorum numerum a viris doctis recepta essent, denique quomodo ad ipsam Graecorum historiam explicandam referrentur, quomodo v. c. Harmodii scolium cum gravissimis rerum gestarum auctoribus, Herodoto et Thucydide eorumque de pulsis Pisistratidis narrationibus conciliari posset, patefacerem. Quae enim de hac re virorum doctorum traditae sunt sententiae, earum perpaucae quidem plane a vero aberraverunt, nisi forte Meursiis accidit, ut intelligendo facerent, ut nihil intelligerent; sed, quod sciam equidem, nemo adhuc rem apertam ita enucleavit, ut appareat, qui in diversas abire videantur sententias scriptores, eos, dummodo rem paulo accuratius investigaveris, optime inter se conciliari posse; gravissimos illos rerum scriptores res gestas posteritati tradidisse, poetam autem, et qui eum temere quidem secuti sunt, poetarum more, rei ornandae causa fingere, quam ad rerum fidem res gestas persequi maluisse. Atqui tantum abest, ut locupletissimorum auctorum testimonium his plebeculae in victoriae turbine parum sibi temperantis narratiunculis et poetarum figmentis, quibus tyrannicidas nescio quos celebrarunt, labefactetur, ut, modo perspexeris, unde haec originem ceperint, illud verum fideque dignissimum esse comprobetur et confirmetur.

Sed priusquam de hac re quaeramus, de scoliorum genere paucis dicendum est, cujus vis et natura a viris doctis [1]), qui in eo illustrando elaborarunt non ita

---

1) De scoliis disputavit Carolus David Jlgen libro, qui inscriptus est, *Σκόλια*, hoc est convivalia carmina Graecorum etc. praemissa disquisitione de hoc genere carminis Jenae 1798, qui varias virorum doctorum de hoc poesis genere sententias tam diligenter collegit, ut, si non minus ab ingenii acie quam a doctrinae copia instructus esset, nihil haberemus quod addendam videretur. Scriptores omnes, qui ad ejus usque memoriam hanc rem vel data opera tractaverunt, vel, ut res ferret, attigerunt, ab eo laudati sunt, quorum nomina scriptaque hic enumerare longum est. Franko-gallorum inertiam et socordiam (De la Nauze mem. de l'acad. des inscr. t. 13. Burette ibid. t. 23) et Meursii asperam umbraticamque doctrinam et Cludii artis metricae inscitiam notasse sufficiat. Didymus libro tertio *συμποσιακῶν* de scoliis disputaverat, quem ad nostram memoriam non pervenisse, vehemeter doleo, sed fortasse nobis continget, ut membra nonnulla disjecta scriptoris componamus.

explicata est, ut in iis, quae in medium protulerint, acquiescere possimus. Nos quidem disputationem ita instituemus, ut, quae Jlgenius de forma et habitu harum cantilenarum, quae de argumentis satis probabiliter sed parum eleganter exposuit, missa faciamus, et in universi generis ac nominis originem inquiramus, eaque illustrata cantilenisque quae tempus tulerunt, in auxilium vocatis, quae fuerit earum vis ac natura patefaciamus.

Jlgenius, quum de scoliorum origine disputat, ad ipsa poesis literarumque Graecarum primordia ascendere non dubitat, et apud hymni in Mercurium scriptorem scoliorum vestigia reperisse sibi videtur, ubi versu 55 haec leguntur

ἠΰτε κοῦροι
Ἡβηταὶ θαλίῃσι παραίβολα κερτομέουσι.

eodem refert *φιλοκυδέα κῶμον*, cujus apud eundem poetam versu 481 mentio fit. Sed haec ad convivalium carminum lusus, ad scolia nihil pertinent. Atqui vir doctissimus iis locisque quibusdam veterum scriptorum minus bene perspectis eo adducitur, ut deverticula quaerat, et ubi ad ipsam veritatem propius accedere videtur, in eam sententiam etiam atque etiam abripiatur, ut statuat, hujus poesis vim atque naturam in certaminis quodam genere positam esse, quae res statim ab initio viro egregio fraudem fecisse putanda est; postea Pindari et Eustathii testimoniis neglectis commisit, ut temere vagari parumque sibi constare videretur, quam ob rem novam viam aperire et via ac ratione rem ab ipsis principiis repetere [1]), quam eum ducem sequi maluimus.

Sed aliorum virorum doctorum mentio facienda est, qui de hujus poesis vi atque natura alii alias protulerunt sententias, qui quidem ab Jlgenio ita differant, ut opinionem ab initio receptam tueantur. In quorum numero Cludius [2]) commemorandus est, qui scoliorum poesin ex metrorum genere nomen traxisse contendit; eandem sententiam Santenius ad Terentianum Maurum p. 91 aliique amplexi sunt, sed parum firmis eam fundamentis superstructam esse, facile intelligitur. Primum Tyrannio quidam fertur, qui C. Caesare auctore librum de scolio metro conscripserit [3]), sed etiamsi *μέτρον* hoc loco pro *μελοποιΐα* accipiendum esse, quum et nimis violentum sit, et talis quaestio elegantior sit et subtilior quam quae a grammatico isto exspectari possit, non statuas, tamen hac re nihil aliud effici apertum est, quam grammaticum aliquem, quae fuisse traduntur istius aetatis inania ac nimis curiosa studia, in scoliorum metra inquisivisse, collectisque eorum reliquiis et inter se collatis opus, quod patrono

1) In Jacobsii enim sententia acquiescere noluimus, qui (Vermischte Schriften Th. 5. S. 469) haec dicit: Die Gattung der Lieder, welche die Alten Skolia nannten, ist Jedermann bekannt, aber über den Ursprung der Benennung, wussten schon die Alten nicht mehr Zuverlässiges als wir, quanquam quae Bröndstedtius (Reisen in Griechenland Th. 2. S. 162) notata Jacobsii sententia attulit, tantum abest ut iis res difficillima expediatur, ut tritam tantum, quae omnibus compendiis feratur, opinionem repetitam et, ut dicunt, recoctam legamus.

2) Bibliothek der alten Literatur und Kunst Th. I. S. 54. Ceteros viros doctos, qui idem statuerunt, Jlgenius commemoravit.

3) Schol. Aristophan. ran. 1329.

gratum esset, confecisse sibi visum esse. Deinde qui huic sententiae patrocinantur, ad scolium pedem confugiunt, qui a Diomede [1]), Latino quarti post Christum natum saeculi grammatico, et postea ab aliis commemoratur, qui amphibrachum pedem ob frequentem in scoliis usum scolium dictum esse contendunt. Sed quid de scolio isto pede facies? Apud Graecos nulla ejus mentio, qui et nomen et usum ejus ignorant. De orthio et trochaeo semanto idem metricorum Graecorum silentium eodem loco habendum non est, nam (Hermanni sunt verba), quum horum doctrina non ad cantum et musicos rhythmos pertineat, sed in sola recitatione versuum, quae simpli tantum et dupli mensuram habet, versetur: duae illae syllabae, quas orthius et trochaeus semantus continent, etiam si in cantu duodenum temporum essent, tamen in metris describendis quaternorum temporum numerari debebant, ut quae, si verba poetarum spectares nihil nisi communem spondeum praeberent. Quo accedit, quod, etiamsi tibi concederemus, quod minime concedimus, scolium pedem poetis et grammaticis Graecis notum fuisse neque a posterioris aetatis metricis esse fictum, ipse amphibrachus [2]) neque in scoliis neque in universa Graecorum poesi unquam ita ad versus componendos adhibitus est, ut amphibrachicum metrum efficeret. Sed quid multum? ipsarum cantilenarum quas hujus generis fuisse veteres omnes uno ore fatentur, numeris demonstrari potest, nihil insignitum, nihil, quod earum proprium esset, in metrorum ratione reperiri, sed varios poetas pro ingenii et scribendi generis varietate variis metris in scoliis pangendis usos esse [3]). Terpander igitur et qui eum secuti sunt scoliorum metrum ad Aeolii carminis rationem composuerunt, Pindarus ea ad strophicam et antistrophicam rationem conformavit, Admeti scolion choriambicis numeris decurrit, Archilochi, si recte scolia pepigisse

---

1) Diomedes p. 475. cf. Atil. Fortun. p. 2687. Amphibrachys, Janius, amphibrevis, qui est scolius, constat ex brevi et longa et brevi temporum quatuor, ut carina, dictus a duabus brevibus, a quibus ex utraque parte media longa continetur. Scolius quoque ideo, quia habiliter componitur scolio; est autem citharae mensalis species.

2) Santenius enim, si l. l. scolium pedem se admodum frequentem in scoliis observasse affirmat, nugatur, et quae Jlgenius p. 129 in eandem sententiam protulit, iis nihil omnino effici apparet; ei opinio ista, quam antea notavimus, scoliorum poesin e certaminis quodam genere profectam esse, fraudem fecisse putanda est, quo eo adducitur, ut ipsius Homeri heroos versus ad amphibrachicorum istorum rationem revocare non dubitet.

3) Boeckhius Pind. fragm. p. 607. „Scoliorum poesin, quum constet ex Lesbia maxime poetarum schola prodiise, in qua numeri, qui in scoliis usitatissimi, certi quidam exculti sunt, Pindarus tamen alios prorsus rhythmos scoliis tribuit, eosque iis, quibus in ceteris carminibus usus est, simillimos: nisi quod minutioribus subinde, quam alias solet, strophis constrinxisse hoc carminum genus videtur. Haec optime vir egregius et, quot annis, tot officiis ac beneficiis mihi conjunctus, sed quae postea addidit: Pindarica vero scolia, quoniam scolia sunt, cantata a singulis per vices ad citharam sunt; sed simul acta et saltata sunt a choro" vereor ne in iis opinionis vestigia teneantur, quam falsam esse demonstrare conati sumus. Eodem valent, quae vir ille doctissimus p. 611. de suavissimo illo carmine dixit, quo puellae a Xenophonte Ol. 79. 1. Veneri Corinthi dedicatae celebrantur, quod equidem non a convivis ad citharam cantatum esse putaverim, ad quod puellae sacrificantes circum aram tripudiassent, sed a choro qui puellas templo dicatas recepisse et salutasse videtur.

traditur, trochaicis tetrametris, Timocreontis Rhodii trochaicis dimetris, alia aliis [1]). Quibus omnibus satis superque comprobatum mihi videtur, et Cludium, quique ejus sententiam temere secuti sunt, plane a vero aberrasse, qui scolium nescio quem pedem nobis venditent, eoque ad scoliorum naturam explicandam abutantur, neque ceteros quidquam profecisse, qui id, quod hujus generis proprium ac praecipuum est, e rei metricae ratione quadam repetendum esse opinati sunt.

Sed alii, iique minime spernendis veterum scriptorum testimoniis nisi, scolia ab ordine canentium dicta esse contendunt, qui *σκολιός* obliquus, inflexus fuerit. Quae

---

1) Quod ita esse, metrorum forma in medium prolata, nemo non videbit.

Aeolii scolii forma:

— — — v v — v — v — v

— v — v v — v — v — v

v v — v — — v v —

— v v — v — — v v — v —

Pindari stropha:

v — v — v — v v — v v — — — v — — — v — —

— v — — — v v — — v — — — v — v

— v v — v v — — — v v — v v — v — v — — — v — —

— v — v — v v — v v —

v v v — — v v v — — v — —

— v — — — v v — — v — — — v — — — v v

epodus:

— v — — — v v — — v — — — v —

— — v v — v v — — — v v — v v —

v — v — — — v — —

. . . . . . . . .

Admeti:

— — — v v — — v v — — v v — v —

— — — v v — — v v — — v v — v v

Archilochi:

— v — v — v — v — v — v — v —

Timocreontis:

— v — v — v — v

opinio, quum non sine dubitatione quidem ab Jlgenio et hodie ab omnibus, quod sciam, viris doctis recepta sit, paulo accuratius examinanda et excutienda est, ut quantum ei tribuendum sit appareat. Locupletissimi universae antiquitatis testes, qui bene et integre de his rebus judicare potuisse videantur, pro hac sententia afferuntur, inter quos principem sane locum Dicaearchus et Aristoxenus, Aristotelis discipuli, obtinent, quos de poesi Graecorum et musica optime meruisse scimus. Dicaearchi verba apud Suidam s. v. *σκολιόν* et Luciani scholiasten. t. 3. p. 292, quos Jlgenius laudat, leguntur haec: *ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον, καθ'ἕνα ἑξῆς, τὸ δ' ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε, τῇ τάξει· ὃ δὴ καλεῖσθαι, διὰ τὴν τάξιν σκολιόν*. Locus manifesto vitio laborat; ita Dicaearchus scripsisse putandus est: *τὸ μὲν ὑφ' ἁπάντων ᾀδόμενον, τό δ'ὑπὸ πάντων καθ'ἕνα ἑξῆς, τὸ δ'ὑπὸ κ. τ. λ.* Scholiastae enim verba, qui *δύο γένη* scripsit, minus etiam probari possunt, quum veteres tria convivalium carminum genera posuisse constet; sed hoc nihil ad rem nostram, neque plus ei tribuendum est, quod Suidas haec verba e Dicaearchi *μουσικῶν ἀγώνων* libro, scholiastes autem ex libro *περὶ μουσικῆς* desumta esse tradit, saepe enim laudantur Dicaearchi libri *περὶ μουσικῆς, περὶ μουσικῶν ἀγώνων* et *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων*, quibus singula libri „*ὁ τῆς Ἑλλάδος βίος*“ capita significari, Naekius, vir elegantissimus optimeque de me adolescentulo meritus, demonstravit. Restat igitur, ut Dicaearchi, Aristotelis discipuli, rerumque Graecarum peritissimi sententiam fuisse concedamus, scolia ab ordine canentium, *διὰ τὴν τάξιν*, nomen traxisse. Sin quaeris, quem ordinem Dicaearchus obliquum vel inflexum voluisse putandus sit, non de lectis in nuptiis extra ordinem positis, id quod Aristoxeno placuit, sed verbis *ὡς ἔτυχε τῇ τάξει*, quibus *καθ' ἕνα ἑξῆς* opponuntur, satis apertum est, eum de continua canentium serie intermissa cogitasse, qua inflexus ille ordo efficeretur [1].

Aristoxenus et Phyllis musicus haec de harum cantilenarum nomine statuisse apud eundem Suidam et Luciani scholiasten, traduntur: *Ὅτι ἐν τοῖς γάμοις περὶ μίαν τράπεζαν πολλὰς κλίνας τιθέντες, παρὰ μέρος, ἑξῆς μυρσίνας ἔχοντες ᾖδον γνώμας καὶ ἐρωτικὰ σύντονα· ἡ δὲ περίοδος σκολιὰ ἐγένετο διὰ τὴν θέσιν τῶν κλινῶν* [2]. Ita enim post vocem *μέρος* distinguendum est, nam quid sit *ἔχοντες μυρσίνας παρὰ μέρος ἑξῆς*,

1) Artemon Cassandreus, grammaticus, Dicaearchum auctorem secutus apud Athenaeum XV. p. 694. idem fere dicit sed fusius, unde, quae fuerit ipsius Dicaearchi sententia plane perspici potest. Quae apud Athenaeum leguntur haec sunt: *Σκολιὰ δὲ καλοῦνται οὐ κατὰ τὸν τῆς μελοποιΐας τρόπον, ὅςτις σκολιὸς ἦν· λέγουσι γὰρ τὰ ἐν ταῖς ἀνειμέναις εἶναι σκολιά· ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὥς φησὶν Ἀρτέμων ὁ Κασσανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ χρήσεως*, (leg. *βιβλίων χρήσεως*, minus accurate pro *βιβλίων συναγωγῆς*) *ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ᾀδόμενα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάντας ᾄδειν νόμος ἦν, τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ᾖδον οὐ μὴν ἀλλά γε κατά τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς, τρίτον δέ, καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὗ μετεῖχον οὐκέτι πάντες ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι, καὶ κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες. Διόπερ ὡς ἀταξίαν τινὰ μόνον παρὰ τἄλλα ἔχον, τὸ μηθ'ἅμα, μηθ'ἑξῆς γενόμενον, ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι σκόλιον ἐκλήθη.*

2) Eadem fere verba cum Dicaearchi illis conjuncta e Suida in Aristophanis Aldinam illata esse, monuit Dindorfius ad schol. Aristoph. vesp. 1239.

vel tenere aliquid alternis [1]) continua serie, hoc *πολλῆς μαντείας δεῖται*, Aristoxeni igitur sententia haec fuisse videtur, gnomas et breviores eroticas cantilenas, quae a convivis in nuptiis cantatae essent vicissim, quum omnes *ᾄσακον* illum tenuissent, eam ob causam scolia dictas esse, quod pluribus lectis circa mensam dispositis solitus canentium ordo confusus esset. Haec Aristoxeni verba Plutarchus [2]) secutus rem via ac ratione, sed haud scio an parum probabili, constituere conatus est. Aliam igitur eamque a Dicaearchi opinione aliquanto recedentem vides Aristoxeni sententiam, quae ipsa porro habeat, quae vix tibi probari possint. Fuerit in nuptiis lectorum ordo confusus, quid de conviviis judicandum est, in quibus scoliorum usum frequentissimum fuisse constat? Quid de Plutarchi illo accuratius et subtilius instituto ordine canentium, quomodo, quae de canentium ordine in primo, secundo, tertio lecto accubantium immutato dicit, cum iis conciliari possunt, quae idem scriptor [3]) paulo ante Dicaearchi auctoritatem secutus, de scoliorum difficultate protulit, qua factum esset, ut soli *πεπαιδευμένοι* vel *συνετώτατοι* scolia *ἁρμοζόμενοι* (ad artis musicae leges accuratius adstricta) cecinissent. Itaque, si quid video, quum uterque de eadem re non idem statuerit, ipsique vagari ac parum sibi constare videantur, gravissima Dicaearchi et Aristoxeni auctoritas imminuta ac paene fracta jacet. Quibus remotis jam altius assurgere et spiritus quosdam sumere nobis licebit. Etenim si de re ipsa quaerimus, num carminum genus ab ordine canentium interrupto dici potuerit, hoc mihi quidem nemo unquam persuadebit. Nam rebus nomina imponuntur ea, quae ab eo desumta sunt, quod earum proprium et insignitum est, quodque ipsum certa quadam forma definitum ab omnibus facile conspiciatur. Quorum neutrum in hanc rem cadere, apertum est, quoniam fieri poterat, et sine dubio haud semel factum est [4]), ut omnes convivae artis musicae satis periti essent, ut ad lyrae modos scolia canere possent, vel convivae in primo vel secundo vel tertio lecto accubantes artis musicae periti, ceteri ejus expertes essent. Nempe in his scoliis

1) *παρὰ μέρος* pro *ἐν μέρει* vel *κατὰ μέρος* vicissim, alternis apud hujus temporis scriptores nonnunquam reperiri, Theophrasti exemplo docuit Budaeus cf. Stephani thes. v. *παρά*.

2) Plut. symp. qu. I. 1. 5. *Ἄλλοι δέ φασι τὴν μυρσίνην οὐ καθεξῆς βαδίζειν, ἀλλὰ καθ᾽ἕκαστον ἐπὶ κλίνην διαφέρεσθαι·* (hic vocis *διαφέρειν* usus satis frequens apud Platonem) *τὸν γὰρ πρῶτον ᾄσαντα τῷ πρώτῳ τῆς δευτέρας κλίνης ἀποστέλλειν· ἐκεῖνον δὲ τῷ πρώτῳ τῆς τρίτης, εἶτα τὸν δεύτερον ὁμοίως τῷ δευτέρῳ· καὶ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπές, ὡς ἔοικε, τῆς περιόδου, σκολιὸν ὠνομάσθη.*

3) Plut. ibidem *Ἐπεί τοι καὶ τὰ σκόλιά φασιν οὐ γένος ᾀσμάτων εἶναι πεποιημένων ἀσαφῶς, ἀλλ᾽ ὅτι πρῶτον μὲν ᾖδον ᾠδὴν κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δευτέραν δὲ ἐφεξῆς ἑκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης ἣν ᾄσακον οἶμαι, διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, ἐκάλουν· ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης, ὁ μὲν πεπαιδευμένος ἐλάμβανε, καὶ ᾖδεν ἁρμοζόμενος, τῶν δὲ ἀμούσων οὐ προςιεμένων σκόλιον ὠνομάσθη τὸ μὴ κοινὸν αὐτοῦ μηδὲ ῥᾴδιον.*

4) Graecos artis musicae peritissimos fuisse, ejusque studium principem quendam locum in puerorum institutione obtinuisse, nemo est, qui nesciat. Praeterea, quae a Cicerone Tuscul. I. 2. aliisque narrantur, Themistoclem, quum in epulis recusasset lyram, indoctiorem habitum esse, iis haud improbabili conjectura effici videtur, illa quidam aetate nobilissimum quemque difficiliores etiam cantilenas canere potuisse, quandoquidem Themistoclis imperitia tanquam res singularis et inaudita notatur. Quod si ita est, opinio ista plane concidit.

nihil inflexi et scolii inesse concedes? Deinde non certus ac definitus ordo est, qui scoliorum fuisse traditur, sed nullus. Qui vero ad cyclicorum carminum similitudinem confugiunt, tantum abest, ut, quod e re sua esset, quidquam protulerint, ut iis ipsis discrimen, quod inter utrumque intercedat, planius etiam patefiat. Nam in iis certa et insignita et cyclici chori propria forma conspicitur, a qua universum genus nomen traxisse facile concedes, quod in scoliis longe aliter se habere, unusquisque vel non monitus videt.

Quae restant de scoliorum origine opiniones a veteribus inferioris notae scriptoribus positae, eas verbo commemorasse sufficiet. Suidas grammaticum nescio quem statuisse dicit, scolia *ἐκ τοῦ ἐναντίου* vel *κατ' ἀντίφρασιν* dicta esse, quod faciliora essent; eandem sententiam scholiastes Aristoph. vesp. 1239. et Proclus apud Photium p. 988. commemorant, sed ita, ut eam impugnent, quum ea quidem quae potiora sint *κατ' ἀντίφρασιν* pro deterioribus dici soleant, neque vero deteriora pro potioribus [1]). Vide quaeso hominum grammaticorum ineptissimas argutias, quibus commiserunt, ut *σκόλια ἀπὸ τοῦ μὴ σκολιὸν εἶναι*, eodem fere modo, quo lucum a non lucendo dicta esse opinarentur; sed nihilominus haec ipsa non negligenda sunt, ut appareat, quanta fuerit de hac re opinionum varietas, et, id quod postea patefacere conabimur, in singulis quibusque aliquid inesse, quod ad verum propius videatur accedere. Cui grammaticorum opinioni Proclus [2]) adversatus aliam profert eamque, dum paulo eam immutaveris, minime contemnendam, eique Horus [3]) ab Jlgenio justo acerbius castigatus assentitur. Eorum sententia haec est: scolia cantata esse sub finem epularum, quum convivarum animi vino irrigati commotiores et remissiores et quasi inflexi fuissent, quo ad ipsa carmina relato, ea curva vel inflexa dicta esse. Ipsa Procli verba postea accuratius excutienda erunt, quippe quae e melioris notae scriptore, fortasse Didymi symposiacis, minus accurate descripta esse videantur; hic monuisse satis est, ea, qualia apud Photium leguntur, nullo loco habenda esse.

Iam iis, quae de his veterum scriptorum opinionibus in utramque partem disputata sunt, satis apparere arbitror, neque Aristoxeni et Dicaearchi auctoritati, neque ceterorum grammaticorum satis speciosis figmentis tantum tribuendum esse, ut in iis acquiescendum esse statuamus. Restat alia eaque, ut dicam quod sentio, una vera atque probabilis, quam Eustathius ad Odyss. VII. p. 1574. 12; e Didymi symposiacis, ut Jacobsius conjecit, affert, cujus verba haec sunt: *Τῇ δὲ ἐννοίᾳ, οὐχ ὅτι σκολιά εἰσι*

1) Schol. Arist. vesp. 1239. *Ἔνιοι δέ φασιν, ὡς ἐκ τοῦ ἐναντίου προςηγορεύθησαν σκολιὰ τὰ παροίνια μέλη· ἁπλᾶ γὰρ αὐτὰ ἐχρῆν εἶναι καὶ εὔκολα, ὡς παρὰ πότον ᾀδόμενα. οὐκ εὖ δὲ τοῦτο· τὰ γὰρ δύςφημα ἐπὶ τό εὐφημότερον μεταλαμβάνεται, οὐ μὴν τοὔμπαλιν.* Deinde ad Dicaearchi illam opinionem confugit.

2) Eadem paulo aliter dicta leguntur apud Photium. Photius l. l. postquam opinionem, cujus proxime mentionem fecimus, refellit, haec addit: *ἀλλὰ διὰ τὸ, προκατειλημμένων ἤδη τῶν αἰσθητηρίων καὶ παρειμένων οἴνῳ τῶν ἀκροατῶν* (?), *τηνικαῦτα εἰςφέρεσθαι τὸ βάρβιτον εἰς τὰ συμπόσια, καὶ διονυσιάζοντα ἕκαστον ἀκροσφαλῶς, συγκόπτεσθαι* (*συγκύπτεσθαι* Sylb.) *περὶ τὴν προφορὰν τῆς ᾠδῆς· ὅπερ οὖν ἔπασχον αὐτοὶ διὰ τὴν μέθην, τοῦτο τρέψαντες εἰς τὸ μέλος, σκολιὸν ἐκάλουν τὸ ἁπλούστατον* (?).

3) Etymol. m. v. *σκολιόν. Ἀπὸ τοῦ μεθύουσι καὶ σκολιῶς ἔχουσι τὰ αἰσθητήρια ᾄδεσθαι* scolia dicuntur.

λόγῳ ψόγου (?) (legendum εἰς λόγου ψόγον), ἀλλὰ κατά τινα μελοποιΐας νόμον, ὅς, οἷα εἰκὸς, οὐ πρὸς εὐθὺ ἐμέλπετο ἁπλοϊκώτερον, ἀλλὰ ποικίλως ἐσκολιοῦτο. Sed ne temere huic sententiae accessisse videamur, demonstrandum est, primum vocem σκολιός e linguae Graecae usu id quod a recta via, ab antiqua gravitate deflexerit significare posse, quod a Jacobsio aliisque in dubitationem vocatum est, deinde quibus rebus effectum sit, ut praeter ceteras hae potissimum cantilenae, neque vero universum leviorum carminum genus, in quo Graecos posterioris aetatis poetas animo indulsisse constat, scolia dicta sint, denique quomodo factum esse putandum sit, ut Aristoxenus et Dicaearchus, gravissimi et optimi sane harum rerum judices, deverticula quaesiverint et falsas easque contrarias opiniones protulerint.

Quodsi primum de voce quaeritur, illud affirmare nullus dubito, eam ad vocem σκέλλω torreo, referendam esse, ab aliis quidem a voce σκαίω σκάζω claudico repetitur, quod prorsus rejiciendum est. Est igitur σκολιόν, quod proprie dicitur, id quod antea rectum fuit, sed postea calore curvatum et inflexum est; saepe res calore curvantur quas rectas esse malles, sed nonnunquam etiam data opera calore inflectuntur ut inflexae sint, ut Herodoti ille σίδηρος [1]), quo efficitur, ut hac voce nullo vitio notato res curvae vel inflexae significari possint. Apud Homerum [2]) quidem, ubi semel tantum legitur, σκολιαὶ θέμιστες, et quae apud Hesiodum [3]) σκολιοὶ μῦθοι et σκολιαὶ δίκαι dicuntur, iis ad hominum animos moresque translatum, quod inflexum sit, pravum astutum σκολιόν dicitur. Idem usus satis frequens est apud Pindarum, ubi σκολιαὶ ὁδοί et σκολιαὶ ἀπάται [4]) dicuntur, eodem referenda est Hermesianactis σκολιὴ σοφίη et loci, qui a Jacobsio l. l. laudati sunt. Sunt igitur σκολιά, quae a lexicographis ἐπικαμπῆ, ἄνισα, δύσκολα, obliqua, tortuosa, intorta, inflexa, prava dicuntur, quum omnia quae non ὀρθά et εὐθέα sunt, ut, Euripidis (Hecuba 64) σκολιὸς σκίπων, Nonni σκολιαὶ πλοκαμῖδες (Dionys, 14. 182). Callimachi σκολιὸς λαβύρινθος [5]) (Hymn. in Del. 311), σκολιὴ βάτος (Anthol. Pal. VII. 315) tum, quae, quum antea recta fuissent, data opera inflexa sunt, ut Herodoti ille σίδηρος, tum denique qui frequentissimus est hujus vocis apud veteres usus, ea σκολιά dicuntur, quae recta esse debebant, sed inflexa, obliqua sunt. Ergo nihil impedit, quo minus cantilenas ad varios, inflexos et minus simplices modos compositas et cantatas σκόλια appellatas esse statuamus.

Sin autem quaeris, quomodo factum sit, ut in tanta levium ac lascivarum cantilenarum apud Graecos frequentia ac varietate unum hoc convivalium carminum genus scolium dictum sit, ad ipsa poesis lyricae primordia te revocamus, quibus poemata etiamtum rudia et incondita ad artis musices rationem componi ac redigi coepta sunt. A Terpandro enim Antissaeo hoc poesis genus inventum esse locupletissimo Pindari

1) Herod. II. 86.
2) Homer. Jl. XVI. 387.
3) Hesiod. op. 7. 194. 221. 252. cf. 260. 261. Mirus est hujus vocis in hoc carmine frequens usus.
4) Pind. pyth. II. 85. fragm. inc. 4.
5) cf. Tyrt. II. 2. Οὔ ποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν, Ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ καὐχένα λοξὸν ἔχει.

apud Athenaeum [1]) testimonio confirmatur, quem et Lesbiorum et Lacedaemoniorum [2]) lyricam poesin novis artis musices legibus constitutis immutasse constat. Quo uno, si quid video, satis superque confutantur virorum doctorum commenta illa, quae supra a nobis enarrata et argumentis ex ipsius rei natura desumtis dijudicata sunt. Quomodo enim fieri poterat, ut rerum tam futilium ac levium ab arte musica vel maxime alienarum inventio ad eum, qui artis musicae apud Graecos auctor ac parens praedicatur, ad Terpandrum referretur. Si rem accurate perpenderis solo Pindari locupletissimo testimonio eo adduceris ut id, quod scoliorum proprium et insignitum sit, artis musicae ratione contineri tam certum tibi sit quam quod certissimum. Sed ad id, quod nobis propositum est redeamus. Ipsa Terpandri vita ad duplicem quandam rationem, qua in poesi et arte musica versaretur, duxisse videtur. Antissae olympiade vicesima natus, Hellanicus enim Lesbius [3]) eum primum omnium in Carneis olympiade vicesima sexta Spartae institutis vicisse memoriae prodidit, juvenis a Lacedaemoniis arcessitus est, ut eorum animos civilibus motibus turbatos placaret [4]), qui tantopere Terpandrum admirati sunt, ut postea artis musicae peritissimum quemque a Terpandro secundum (*μετὰ Λέσβιον ᾠδόν*) dicerent. Ipsa igitur origo et vita poetae ad Lesbios et Lacedaemonios, ad Aeoles et Dores pertinere videntur, neque minus in iis, quae de carminibus ejus nobis tradita sunt duplicis hujus generis certa tenemus vestigia. Terpandrum in Dorum musica et poesi multum profecisse, et ipsa victoria in Carneorum certamine reportata, et veterum scriptorum testimoniis probatur, quibus immutasse et perfecisse Lacedaemoniorum musicam traditur [5]), quum adversantibus quidem initio magistratibus antiquae lyrae quatuor chordis tres addiderit et heptachordum effecerit:

*Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὴν*
*Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους* [6])

---

1) Athen. XIV. p. 685. D.

2) Plutarch. l. l. c. 9. *Ἡ μὲν οὖν πρώτη κατάστασις τῶν περὶ τὴν μουσικὴν ἐν τῇ Σπάρτῃ Τερπάνδρου καταστήσαντος γεγένηται* cf. Chronic. P. ep. 35. Ibi, quae a Johanne Seldeno primo marmorum Arundelianorum editore perperam edita sunt *τὴν ἔμπροσθέ μου δίκην μετέστησεν* a viris doctis jam dudum correcta ita leguntur, *τὴν ἔμπροσθε μουσικὴν μετέστησεν.*

3) Veterum scriptorum loci et virorum doctorum de Terpandro sententiae diligenter collectae sunt in S. L. Plehnii Lesbiacorum libro.

4) Veterum scriptorum locos collectos vide apud Plehnium l. l. p. 147. et Christodori epigramma in Anthol. Graec. t. III. p. 165. Jacobs.

*Μήτε λίπῃς Τέρπανδρον ἐΰθρονον, οὗ τάχα φαίης*
*Ἔμπνοον οὐκ ἄφθογγον ἰδεῖν βρέτας· ὡς γὰρ ὀΐω,*
*Κινυμέναις πραπίδεσσιν ἀνέπλεκε μύστιδα μολπὴν,*
*Ὥς ποτε δινήεντος ἐπ᾽ Εὐρώταο ῥοάων.*
*Μυστοπόλῳ φόρμιγγι κατεπρήϋνεν ἀείδων.*
*Ἀγχεμάχων κακότητας Ἀμυκλαίων ναετήρων.*

5) Plut. de music. c. 9. Chronic. Par. ep. 35.

6) Euclid. introd. harm. p. 19. cf. Plehn. p. 149.

Sin quaeris, quaenam carmina fuisse putanda sint, quibus Terpander tantam Lacedaemoniorum gratiam sibi conciliaverit, facile apparet, ea graviora fuisse, eumque in iis pangendis et cantandis, id quod de Stesichoro praedicatur, epici generis pondus lyra sustinuisse, quum levia illa ad epularum licentiam et lasciviam accommodata a Lacedaemoniorum gravitate et asperitate prorsus aliena fuisse videantur. Quo referenda sunt prooemia, quae Homeri carminibus praeposuisse traditur [1]), opera, quam in Homeri carminibus ad artis musicae rationem componendis posuisse fertur, eodem denique maximam partem quidem referendi sunt nomi et prae ceteris orthius ille, quo non solum, ut vulgo opinantur, preces ad Apollinem *ἀλεξίκακον* directae continebantur, sed qui latius patuisse et de omnibus gravioribus et ad Deorum cultum pertinentibus carminibus accipiendus esse videtur. Nomi musici, quos Terpander invenisse fertur, hi apud Plutarchum et Pollucem [2]) commemorantur: *Αἰόλιος, Βοιώτιος, Ὄρθιος, Τροχαῖος, Ὀξύς, Τετραοίδιος, Καπίων*, quibus fieri non potest, quin duplex illud, quod Terpandro vindicavimus, poesis genus contineatur et significatum sit. Ex iis, quum ceteri a viris doctis satis probabiliter explicati sint, eum, qui orthius dicitur paulo accuratius in examen vocare liceat, postea, si de levibus et convivalibus Terpandri carminibus dicendum erit, ad Aeolium revertendum erit. Orthium nomum ab orthio pede nomen traxisse vulgo opinantur [3]), mihi autem, quia, quantum ex metricorum scriptorum silentio conjicere licet, pes ille posterioribus tantum temporibus hoc nomen accepisse videtur, is potius ex nomi illius orthia i. e. recta, gravi natura dictus esse videtur [4]). Hoc modo orthius efficitur nomus, qui idem Lacedaemonius dici poterat, et Arionis ille orthius nomus, cujus apud Herodotum (I. 24.) mentio fit, non de certa aliqua cantilena, sed de carmine gravioribus numeris composito accipiendus est. Non igitur ad orthium pedem confugiendum erat ad *ὀρθίου μελῳδίας* naturam explicandam, nam orthium, cui Aelio Quintiliano teste haec forma fuit $\underline{\ 4\ }\ \underline{\ 8\ }$, arsis quaternarum thesis octonarum morarum, ad dactylicos numeros non quadrasse, apertum est, sed Antissaei poetae carmina, quae Lacedaemone cantata in Deorum, Jovis dico et Apollinis et Dianae [5])

---

1) Plut. de music. c. 7. (cf. 3. 5.) Talis prooemii primus versus emendatus apud Plehnium p. 162 ita legitur:
*Ἀμφί μοι αὐτὸν ἄναχθ' ἑκατηβόλον ᾀδέτω ἁ φρήν.*
Procl. ap. Phot. p. 328. Plut. instit. Lac. 17. dicitur *ἡρωικῶν πάξεων ἐπαινέτης*. Strabo XIII. 618.

2) Plut. de music. c. 4. Pollux. IV. 9. 4.

3) Hesychius *Ὄρθιον νόμον· οὕτως ὠνομάσθαί φασιν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ῥυθμοῦ, καθάπερ καὶ τὸν τροχαῖον* cf. Suid. s. v. *νόμος*.

